



31
DISPUTATIO
E
Jul. Cæs. Scalig. Exerc. X.

De
A E R E.
Quam
DEO JUVANTE

Sub
PRÆSIDIO

Viri Spectabilis, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlings/

Physici longè celeberrimi, & p.t. DECANI
gravissimi,

Domini, Præceptoris ac Promotoris sui
vitam colendi

Publico Φιλοσοφέντων examini committit

GEORGIUS SIGISMUNDUS Mader/
Custrino - Neomarch.

ad d. Januarij.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
Anno MDC LV.



DISPUTATIO PRIMA

De

AERE.

Theorema I.

Aer non quia temperatissimus, mitioni ac generationi aptissimus est.

MUltum disputatum de igne est. Nunc ad aerem itur, illo perviso. Denuò patebit, nullam subtilitatem sine difficultate esse. *Sequitur, ait Scaliger, ut quæ de aere sentias, doceamur. Hæc sunt. Aer ille sub Luna temperatissimus, erit ather, utriusq; expertis qualitatibus. Nam nec siccus est, quia fluit: nec humidus, quia non madefacit: ac propterea ad generationem aptissimus.* Sublatum à Cardano elementum ignis est, & aeri tributæ altissimæ istæ sedes. De hujus verò qualitatibus si quæris, caliditatis & humiditatis expertem eum dicit. Scaliger ex Aristotele didicit, humidissimum & calidum aerem esse. Putat hinc vero adversari, quæ viro videt adversa. Refellit dicta, & subtiliter ac copiosè de re disserit. *Hæc nos, inquit, cum docuisti: id item doceas velim. Si propter temperationis æquabilitatem aptissimus est ad generationem, erit ejus aptitudo partim per se, partim per accidens. Est enim per se uti tu vis, frigidissimus: per accidens, reductus ad*

A 2 tempe-

temperamentum à vi calidâ siderum. Ad hoc terra frigida,
& aqua per se frigidissima, non erunt apta generationi.
Tum autem, cujusmodi erit hæc ab aere generatio, quem mox
negas ingredi tanquam elementum ad compositionem. Præ-
terea non videris velle agnoscere in Natura necessariam
mixturem multorum qui unicum dicas temperatum: non e-
nim refractionis indigebit, quam multis in locis statuis tamen.
Et corrumpetur potius, si non resistit. Neq; enim ex medio-
cri & extremo fiet unum medium temperatum, sed ex concur-
su obvio extremorum. Tum autem sic cum si eximis ex aptitu-
dine generationis, nihil erit in natura solidum. Nectit con-
sequentias, quæ si falsæ, falsum quoque id è quo illatæ.
Rationes verò Cardani prætermittit: nec visas, nec au-
ditas. Non siccus est, dicebat, quia fluit: non humi-
dus, quia non madefacit. Hæc diluenda erant, cum
fundamentum sententiæ sint. Sic cum terminos servat;
si vera Aristotelis definitio. Sed fluit aer: ergò siccus
non est. Humidum humectat: at non madefacit aer:
non igitur humidus. Atque sic temperamento similis
cælo est. Cælum enim temperatum: non quia æqua-
liter ex calido & frigido commistum, sed quia utriusq;
qualitatis expers est. Idem cogitandum de aere, medio
quod vocant Negationis. Abstinet ab his Scaliger, &
ad consequentias se applicuit. Si aptissimus aer ad mi-
xtionem & generationem, quia temperatissimus, apti-
tudo illaper accidens erit. Per se enim frigidissimus est:
igitur & ineptissimus. Si aptissimus ad generationem,
quia temperatissimus, terra & aqua aptitudinem non ha-
bebunt. Non enim illam temperationis æquabilitatem
habent. Si aptissimus ad mixturem, quia temperatissi-
mus, ingreditur mixti compositionem. At hoc negatum
Car-

Cardano. Si aptissimus, quia temperatissimus, refractio-
nis non indigebit. At hæc omni elemento necessaria, ad
mistorum constitutionem. Si aptissimus, quia tēperatis-
simus, corrūpetur potius. Vis enim validior vincet me-
diocritatem. Non extremum committendum cum me-
dio, validissimum cum imbecillo: sed extremum cum
extremo, summum cum summo. Si aptissimus, quia
siccus non est, eximitur siccum ex opere generationis.
Unde verò soliditas corporum, silicis, cotis, adamantis?
Tot tantasq; facit consequentias Scaliger; quod dispu-
tandi genus ridet ac rejicit Cardanus. Quin à necessa-
rio ad nimium progreditur, & ipsam disputandi artem
fermè contemnit. *Professor, ait, Dialectica vel Metaphysica*
viginti coronatis apud nos conducitur: Medicina & philoso-
phia naturalis sexcentis ac mille, atq; etiam amplius atq; jure
merito: cum hæc disciplina nihil certum doceant, sed ad solam
veritatis inquisitionem spectant, eatenus sint legenda atq; in
precio habenda, quatenus homo eò perveniat ut enthymema-
ta ac syllogismos rectè construere norit, captionesq; vocum
vitare, nec non generalissima illa significata quorundam no-
minum intelligere. Ulterius si procedas, hominem ineptum
reddunt, ut qui confidat, dum de omnibus acutius quam par-
est, ac locupletius disputare novit, absq; propria scientiarum,
in quibus disputat, cognitione se eruditum videri absq; labo-
re scientemq; absq; scientia. Hæc Cardanus, cum modum
finemq; transfiret. Sane, æternæ erunt controversiæ, si
agendum consequentijs. Nihil tam rectum, tam solida-
rum, tam perspectum, è quo non mala colligant, quos
contradicendi tenet studium. Non igitur placet admo-
dum, ipse hic Scaligeri processus. Rationes qui negli-
git, & consequentias, nectit, malè docet, malè dispu-
tat

fat. Neq; à verò alienum est, aptum ad misionem aerem esse, quamvis experte caliditatis & humiditatis. Scaligero definitore, mistio est motus corporum minimorum ad mutuuum contactum ut fiat unio. Optima fiet applicatio ad aerem. Habet sua minima: sicut ignis, sicut cætera. Non repugnat contactu mutuo: sicut & reliqua. Potest uniri terræ, igni, & aqua. Aptus igitur erit mistioni, ut ut nec frigidus, nec calidus, nec humidus, nec siccus. Misto verò quid confert, inquis? Corpore suo compositionem ingreditur: tenuitate sua tenuiora afficit mista: levitate leviora: fractione sonora. Sonant metalla ob aerem, natant ligna ob eundem, tenues ac leves plumæ sunt ex eodem. Sed mistio extremorum est, inquit: extrema calidum & frigidum, humidum & siccum. Hæc ex opinione, non rei veritate dicta sunt. Extrema sunt, ignis & aqua. An aptiora ad misionem, quàm media? Hostis hostem fugit,; sicut aranea unicornu, columba accipitrem. Ait: si alterum extremum fuerit, alterum medium, corrumpetur medium, corrumpet extremum. Non id metuendum in simplicibus. Non cum periculo flammam accedit aer. Non mutat hunc candelam accensa, non cum incenduntur urbes, aeris agitur res, proximus cum ardet paries. Et quid inhærescimus in elementis? Frustrà sunt, qui putant, in misti generatione quatuor elementa concurrere, inter se pugnare, frangi, & refringi, agere ac pati, alterari ac mutari, & sic mista constitui. Non hæc absolvunt negotium: solum dant materiam, eamque remotam. Et realius cogitata, fingunt quæ partim inepta, partim impossibilia naturæ sunt. Rectius alibi Scaliger habet: *Nisi quatuor illa elementa rectorem habeant temerè ac sine modò metaq; ulla,*

Exerc. 397.
sect. 20.

ulla, & jaētabunt & jaētabuntur. Quid enim illud est, quod tantum terra, tantum commiscet ceterorum? At oportet in unoquoque motum esse unum & primum. Non enim illa sese movere ullum ad opus queunt, sed in compositis à forma excellentiore, in mistis imperfectis ab aeterno principio cientur ad mutuam connexionem. De aeterno principio quæ addit, in ordinariâ viâ non merentur sedem. Hic enim nec natura sine Deo, nec Deus sine naturâ.

Theoremâ II.

Aer Peripateticis non est calidissimus.

Afferit Cardanus, nullum experimentum docere, nullamque rationem cogere, aerem calidissimum esse. Chimerica illa, inquit, Aristotelicorum, ne illum accusare videar, commenta in inexplicabiles questiones, quæ adhuc sub iudice sunt, terminantur. Itaque melius est, paucis immutatis tueri veritatem atque experimenta ipsa quam in perpetuum cum illis nugantes de rerum natura nihil scire. Quis enim nisi amens audiat differentem atque affirmantem, aerem esse calidum in extremo ac summo, deinde ob solum motum aut vapores absque motu, ut sub septentrione, adeo fieri frigidum, ut glaciem, nivem, ac grandinem gignat, nemoque contra Solis vim de aeris calore conquestus sit, de frigore omnes querantur & tamen audeant aeri non aliam fermè, quam igni tribuere caliditatem. Scaliger industriæ suæ conscius nullum Peripateticorum summam aeri caliditatem tribuere scribit. Omnes in universum scriptores, Latinos, Græcos, & Arabes, evolvisse se, & nusquam apud ullum eorum invenisse, aerem calidissimum esse. Novam, ait, atque antehac inauditam sententiam adducis: aerem existimari à Peripateticis calidissimum. Quod verbum nulli unquam
de ambu

de ambulatorum nostrorum excidisse memini. Dicam? Nullus ex Arabum familia, nullus ex Græcis commentariis, nullus ex Latinis disputatoribus, quem maxima ex parte non excuserim: nullus extat angulus istius nostræ curiositatis, in quo non audierimus Aristotelis divinas voces. Nusquam tamen apud eorum ullum, quantum recordatione ultima repetere possum, dictum memini. Cum enim sit humidior, quam calidior: nulla ratione poterit idem nobis esse calidissimus: præsertim ex ea communi sententia, quæ elicitur è quarto de Cælo. Incredibilem diligentiam & lectionem stupendam admiramur. Nullus ex Arabum familia est, nullus ex Græcis commentariis, nullus ex Latinis disputatoribus, quem maxima ex parte non excuserit: nullus extat angulus, in quo non audivit divinas Aristotelis voces. Divini animi hoc est, qui omnem mortalitatem transcendit. Mediocribus ingenijs non tam beatis esse licet. Sæpe ne aspirare quidem, nedum pervenire eò, conceditur. Accuratè servare horas cum volumus, veniunt qui appellent & interpellent, salutatores, invisores, exploratores. Impediunt negotia domestica, quæ nec vitari, nec superari queunt facilè. Facienda officia, & aliorum potius, quam nostra locupletanda supellex. Hinc illorum laudamus instituta, qui non referre statuunt, quàm multos legeris, sed quàm bonos, & quàm benè. Et profectò scriptores exercent ingenium persæpè inter irrita, ac nil profuturis disputationibus terunt otium. Multa leguntur in spem futuræ oblivionis. Nodos nectunt, deinde solvunt, & cavillatione verborum, primum sibi, mox alijs, tempus eripiunt. Omnia terminis ambiguis in quam libuerit faciem transformant, ut non qualia sunt suo pte ingenio, sed qualia voluerint ipsi, aut fiant,
aut

aut appareant. Salutare consilium Senecæ est. *Illud vide, ne ista lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubiq; est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia, habeant, nullas amicitias. Idem accidat, necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil equè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non coalescit planta, quæ sæpè transfertur. Nihil tam utile est, quod intransitu proficit. Distrabit animum librorum multitudo. Itaq; cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere quantum legas. Sed in hæc divertisse, fortasse alienum. Nec illud valde ad institutum, an Deambulatores dicendi Peripatetici. Nomen hoc ex Aristotelis consuetudine natum, dicunt. Quia obambulando docuit. Sed Laertius atque Ammonius Platonem primum deambulatores fuisse, & de ambulando suas habuisse disputationes, narrant. Igitur alii discursum, non pedibus, sed mente factum, sectæ dedisse nomen statuunt. Nos ad aerem regredimur, quem non calidissimum, sed calidum putant. Unde non expiabit injuriam, aut certè erratum Cardanus. Nisi voculà unà emolliri possit sententiæ duritas. Scribit enim, aeri non aliam fermè, quàm igni tribui caliditatem. Minorem igitur vult calorem, non summum absolutè. Neque Scaligeri ratio tam firma. Cum sit humidior, quàm calidior, nullâ ratione poterit nobis idem esse calidissimus. Non co-*

Lib. 1. Eph. 2.

B

habi-

habitare posse summam caliditatem & summam humiditatem censet. At non sunt hostes, caliditas & humiditas. Poterunt ergo esse simul absq; repugnantia. Neq; fiet obtusio, Ipso secum discordante subjecto. Aut si fiet, metuenda pariter destructio. In aere puta, si humidissimus est, & calidus. Duos verò gradus excellentes in uno esse elemento, confirmat aqua. Hanc enim & frigidissimam & humidissimam monstrat natura: quam statuat secus istorum schola. Facinus indignum, circumvenire & opprimere sensus. Si autem ferenda sententia de aere, non longè à Cardano abeundum. Quod aer calidissimus sit, dicebat, nullum experimentum docet, nulla ratio cogit. Assertio nostra erit: quod aer calidus & humidissimus sit, nullum experimentum docet, nulla ratio cogit. Ipse hic qui nos ambit, nunc calidus nunc frigidus, nunc humidus, nunc siccus est. Sed non per naturam suam; alia subsunt causa, non obscuræ admodum. Calidus est, ob igniculos, quibus refertus est. Humidus ob vapores, frigidus ob eosdem. Siccitas ignem sequitur, quo eum repletus est, siccus & calidus est. Rectè Aristoteles: *Ignis calidissimus semper est, aer vero igne refertus est. ὁ δὲ αἶρ πυρρὸς πλήρης.* Albertus magnus ait: *aer infimus per accidens est frigidus, per naturam calidus.* At quibus rationum momentis internum illum probabit calorem? Et si internus, quibus machinis separabitur? Separandus autem juxta alterationis doctrinam. Hic enim abolitâ qualitate unâ, altera eaque contraria inducitur. Propria qui tollit, tollit essentias. Idem Albertus scribit: *Aeris tres sunt regiones: superior, media, infima. Inter has autem sunt duæ, una inter infimam & mediam, alia inter mediam & extremam. Infima est calida per repercussione*

2. Met. tract.
1. cap. 3.

percussionem luminis caelestis, & humida per vapores quod
sunt ex terrâ & aqua. Media est frigida, ex privatione du-
plicis causæ vicinitatis, ignis, motus orbis, & radiorum re-
flexionis, & est excellenter frigida & humida; Media au-
tem inter infimam & mediam, est temperatè calida & humi-
da, Suprema est excellenter calida & sicca. Media autem in-
ter mediam & supremam, est temperatè frigida & tempera-
tè sicca. Multa verba, pauca vera. Eundem ad com-
munem magistram, quæ in medio posita patet omni-
bus, nulli invida, nulli in via, præterquam ignavo. Infi-
mus aer hyeme humidus est æstate siccus; hyeme frigi-
dus, æstate calidus. Causæ varietatis externæ sunt, non in-
ternæ. Ob vapores densos & atomos aqueas, frigidus &
humidus est. Non igitur per naturam suam, neque per
alterationem. Non per qualitatem inhærentem, sed
per substantiam adhærentem. Neque unquam alius
humiditatis aut frigiditatis monstrabitur modus. Cali-
dus & siccus aer est, ob atomos igneas, quibus repletus.
His expulsis, nullum caloris, nullum siccitatis, super-
erit vestigium. Repercussio caelestis luminis, proxima
caloris, causa non est. Imago non est res, neque rem effi-
cit. Igniculi nisi adfuerint, nec fractio, nec refractio lu-
minis aut radiorum præstabit quicquam. Suprema ve-
rò regio excellenter calida dicitur, & excellenter sicca,
ob vicinitatem ignis, & ob motum orbis. Hæc non ad-
vertuntur, sed finguntur. Nec orbis datur, nec motus
orbis, nec ignis iste. Non ex rerum natura, sed auto-
rum scriptis, didicere hæc. Dediscamus superflua, &
teneamus necessaria. Hanc summam dixit sapientiam
Socrates, bona malaq; , distingueer, Media regio frigida
dicitur, ex privatione causarum calefacientium, Privatio
B 2 frigi-

frigiditatis causa fit. Non ens entis. Excellēter frigida est & humida quia igni non propinqua, quia caret motū, quia radios reflexos non habet. Sic privativum efficiet positivum, ignobilius nobilius, non - ens ens. Quid verat, ipsam hanc medij aeris frigiditatem ac humiditatem ad frigidos & densos referre vapores? Una frigiditatis ratio & infimæ & mediæ regionis est. Non frigus alterum positivam, alterum privativam habet causam. Ipsa nebula frigida ascendens altius, frigefacit loca, quæ pertransit, nunc inferiora, nunc superiora.

Theorema III.

Sola humiditas satis non est elementis.

Colligit è Cardani placitis, unum fore elementum, & unam qualitatem, humiditatem. Frigus enim Cardano non est qualitas, sed privatio, sed non ens. Calor in aere nullus, & ignis inter elementa non est. Siccitas eo modo humiditatis privatio, quo frigus caliditatis. Verba sunt hæc: *Quod si ad qualitatū naturas respiciant morosiores: non potes, quin te irrideant. Duas enim partes exigit compositum. Alteram, ut consistat, alteram ut cohereat. Ad consistendum siccitas data est: ad cohesionem est humidum interpositum. Cum igitur frigidum semel atq; iterum abs te dicatur esse per accidens: esse enim privationem, imò verò nihil esse, nisi secundum opinionem: & calor tuis è dictis exulet ab omni elemento: nulla erit qualitas elementorum propria, præter humiditatem ac siccitatem. Quid? Imò verò nulla, nisi humiditas. Eodem namq; jure tuo, siccitas est privatio humiditatis, quo caloris frigus. Itaq; terra nullam obtinebit qualitatem, sed qualitatū privationes tantum.*

Non

*Non igitur tria ut nunc: non duo, ut mox, erunt elementa.
 sed unum, aqua ipsa: idq; unica tantum humiditate. Quod
 foelix faustumq; sit Milesio Thaleti. Agitanda omnia, tor-
 quenda omnia, ut eveniat malum. Quis erit innocens,
 detrahere bona, extrahere mala si licet? Audiamus Car-
 danum ipsum. Tria sunt elementa: terra, quæ densissima
 est atq; gravissima, in imoq; posita: aer, qui rarissimus, le-
 vissimus, in suprema parte collocatur: & aqua, quæ medium
 in omnibus his inter hæc possidet. Communia omnibus sunt,
 quòd expertia sint innatae caliditatis: nullus enim calor nisi
 à celo. An ridiculum faciat Cardanum doctrina hæc,
 judicet compositus animus. Petit Scaliger partes com-
 positi: alteram quâ consistat, alteram qua cohæreat.
 Dedit has Cardanus: aquam & terram. Humida aqua
 est, densissima terra, atque ad consistentiam aptissima.
 Ob densitatem enim partes solidè cohærent: sicut ob
 raritatem non probè compactæ sunt. Dabitur igitur
 compositum atque mixtum per ipsa hæc elementa. At
 dixit Cardanus frigiditatem privationem. Dixit. Ergo nè
 ridiculus? Dixit è principijs Aristotelis. Ostendere id
 potuisset Scaliger, si voluisset. Frigus Aristoteli ex priva-
 tione causarum caliditatem gignentium oritur. Ut ibi
 sit frigus, ubi non generatur calor. In mediâ aeris re-
 gione frigus est, quia nullus ibi gignitur calor. Apponat
 æquus arbiter conclusionem. Quid erit aliud frigus,
 quàm caloris privatio? Si primò oritur à privatione.
 Zabarella ait: Statuendum est id, quod alias de monstravi-
 mus, omnes Elementorum qualitates, qualescunq; eas appel-
 lemus, sive naturales, sive adventitias & extraneas, à celo
 produci, vel per motum, vel per lumen, vel per privationem
 utriusq; ob situum ac distantia diversitatem. Porro. Illud
 B 3 Statui-*

*Lib. de Reg.
 Ac.c.5.*

Statuimus, quod mirum quidem fortasse videbitur, sed tunc ab Aristotele clarè assertitur, tunc rationi maxime est consentaneum, frigus non habere causam equivocam sed privativam tantum, nam ex privatione causarum gignentium calorem producit frigus: de causa quidem univoca non negamus à frigido generari frigidum, & à calido calidum; sed dum causam primam & precipuam querimus, quæ vocatur equivoca calidum omne producit à calo per lumen & motum, frigidum verò oritur ex privatione utriusq; actionis celestis; id enim in quod neutro modo calum agit, manet necessario frigidum: hoc fuit apertè ab Aristotele pronunciatum in memorato 4. cap. lib. 1. Meteor. Hic mali fons est, è quo rivi veniunt turbidi valdè ac limosi. Sed sustulit Cardanus qualitates Elementorum omnes, præter humiditatem. Falsum hoc. Levitatem & gravitatem non sustulit: nec raritatem & densitatem. Caliditatem sustulit innatam, sed non acquisitam: quod & Aristotelem fecisse, monstratum antè. Quo pacto & terræ siccitatem defendit. Nec alicujus momenti Scaligeri exceptio est. Siccitas enim non è privativis causis Cardano deducitur, quemadmodum frigus. Sustulit, inquit tandem, elementa omnia, sola exceptâ aqua. Sustulit, qui expressè tria constituit. Sustulit, qui tria loca tribus istis assignavit. Sustulit, qui distinctis distinctas qualitates tribuit. Credo potentissimam cupiditatem omnium libidinem contradicendi esse. Veritas ut luce clarior sit, rerum dabimus summas. Naturales Elementorum qualitates ab ipsorum formis, non à cælo suum trahunt ortum. Externas causas non habent, quæ interna, quæ propria sunt. A formâ ignis est calor ignis: à formâ aquæ, frigus aquæ. Falsum est, frigiditatem privativam habere causam. Positivum
ens

ensest: positivam igitur causam habet. Non est effectus
præstantior causa. Falsum, frigidum à frigido produci,
calidum à calido. Nec qualitates elementorum vim ha-
bent multiplicandi sese, nec elementa ipsa. Sit in aere
candela accensa: caliditatem in eo non producet. Frigidi
lapides non efficiunt aerem frigidum, nisi exhalationes
fiant. *Sapè hoc, ait Franciscus Aquilonius insciantibus
ludicro experimento ostendimus, cum ex porrectâ manu, ob-
velatisq; oculis, è dicere ipsos juberemus, an ad moti proximè
frusti glacialis frigiditatem persentiscerent. Fiebat enim subin-
de, ut sentire se quidpiam dicerent, cum nihil esset ad motum &
aliàs se nihil prorsus sentire affirmarent, cum frigidum cor-
pus adeò propè admooveretur, ut solum non tangeret.. Neq;
in elementis tantum quatuor illæ qualitates, caliditas,
frigiditas, humiditas, & siccitas, attendendæ. Etiam levi-
tas Elementorû qualitas est, etiam gravitas. Nec præter-
mittenda raritas nec densitas. Non inferendum, desti-
tui qualitate elementari, cui nulla quatuor istarum in-
est. De qualitatibus remissionis atque temperie, ex pu-
gnâ ortâ, quæ narrant, ex rerum naturâ non habent.
Non potest corrigi fervor ignis, nec temperari frigus
aquæ. Propria enim sunt, quorum non est intendi & re-
mitti. Placet admodum Fernelij sententia, de ratione
temperamenti. *Elementa, inquit, in mixtione summas
qualitates retinent. Quod ab Aristotele scriptum videmus,
summas in permixtione qualitates summam vim concursu a-
dimere, & ad usq; moderationem quandam reprimere, de vi-
ribus id omninò accipiendum nobis est. Nam qualitates ta-
meti nullò modo repressæ sunt, contrariarum tamen per-
fusione quasi vincæ inhibentur, ne suas summas vires exhi-
beant: hinc virium acumina exuperantiasq; retudisse perhi-
bentur.**

Lib. 3. P. 116.
c. 11

bentur. Nec facile dabitur mistum è quatuor elementis factum immediatè. Corpus humanum è semine fit; semen è sanguine, sanguis è chylo, chylus è cibo, cibus è plantis & animalibus, hæc vicissim è mistis alijs. Non pro sorte cujusque misti è cunctis mundi angulis, aut quatuor elementorum regionibus, conquirenda materia est. Præstò ea jam antè in mistis alijs, novamq; requirit dispositionem. Patebit hoc euntibus per exempla naturæ, singulaque sollicitius scrutantibus. Sic fiet, ne in erroribus avitis, consenescamus atque immoriamur.



Ad
Eximium
Dn. Respondentem.
Fautorem Colendum.

Non humiles animæ certant, illustria pro
stant
Nomina, quæ meritò secula cuncta co-
lunt.

Sed certent. Tibi sunt rerum fundamina certa,
Hinc fallum à vero dividis egregiè.

Macte tuo genio / Mentis pulcherrima dona
Ostende, & factis præmia digna feres.

Johan Sperling/
PP. & h.t. Dec.

Aerios orbes, *MADERE*, quid arduus æther
Ergò doces, quando pui pita nostra moves.
Rectè: hanc perge viam; fiet sic tuteq; ut olim
Cum laude ut Doctis annumerère Viris.

Suo Doctissimo DN. *MADERO*,
Amico & Consalino, amato
& stimatoq; scr.

Andreas Sennertus,
Prof. Publ.

Ad

Ad

Pereximium & Doctissimum

Dn. Respondentem

Amicum à teneris dilectum

Quas animi cumulâris opes, dum Leucoris al-
ma

Te tenuit, patriæ, dulcis Amice, probas.
Euge bonum factum! Si sic perrexeris, olim
Sudoris capies præmia magna tui.

αυτοχειρασῑ scrib.

M. Josias Christophotus Neander
SS. Theologiæ Cultor.

Υμν. οδ. 3.

Ἄ γνωσκομένα ἀρετᾶ κλειναῖσιν αἰοιδᾶς
Ἔστιν αἰεὶ χρονία πίνδαρ⊙ ἱερός ἔφη.
Φεύγει ἐπὶ πλείεσσ θανάτῳ δὲ ὦπα ἀεικῆ
Πράξεσιν ἢ ἀρετῇ παμφανόωσα καλαῖς.
Πολλάκι γὰρ δίδοται ἢ μὲν ἄσπι πολλάκι ἐπαίνε
Σαλπικτὴν τυφλοῖ ἀλλοτρίοιο παθ⊙.
Τᾶνεκα τὴν Φήμην σὺ ΜΑΔΗΡΕ σοφώτερον ἀγρεύς
Τὴν γλυκερὴν σοφίην ὧν πέρι πάντα χρονον.
Οδ. 9. lib. 4. Καὶ μὲν εἰπραγμοσύνης ὅτι, ὡππερ Ὁράπ⊙ εἶπε,
Κρυπταδὴ ἀρετῇ μὴ δια σφόδρα φέρει
Ἔς τὸ μέσον χωρεῖς χλωροῖο φόβοιο παρέερχη
Σπῆδαίω Μυσῶν ὡς ἐπέοικε γόνω.
Εἰς λαμπρὸν προάγεις Φά⊙ ἠελίοιο καλοῖο,
Τῆτε κρίσει φρονίμων χρήματα σέο τίθης.

Τὴν

Τὴν μέν πρ καθεδρην ἀναβαίνεις ἀριέπειαι
 ἠδαιῶν κερῶν αἰγιόχοιο δῖος.
 Μὴ περὶ τῆ χνίριξ δὲ σὺ τῶν λήρωντι τραυδῶν
 (Πλείονας ὦν ψάμμυς ὁ χροῖν ὅτρως ἔχει)
 Ἀλλὰ λαλησόμεν, περὶ ὧν δύναται μὴ ὁ δαίνα
 ἠδὲ ὁ δαίνα λέγειν, εἰματα χρηστὰ πάριε.
 Γνώσιν θαυμασίην ἵνα σε δέξωσιν
 ἢν πόν εὐμεγέθης καὶ μελέθημα τέκε.
 Ὁρθῶς μὲν πράττεις ἀγαπητὲ, φίλ' ἡμερόεντ
 Ἄκρω ὀλυμπιάδων εἰν ἐλικῶνι χόρῃ.
 Εὐρυμέδων δὲ θεὸς τὰ ὑπέρτατα δώματα ναίων,
 ὅς μ᾽ ἐν παρέχει εὐφρονα δῶρα βροτοῖσι,
 Ὀλβιά σε ποιοῖ τλμήματα χερσὶ κρατῶν
 Εἰς τὰ χ' ὡς καρπὸς ἠδὲ βραβεῖα λαβεῖν.


Host tibi versiculos, Eximie Dn. Ma-
 dere, in amicitia nostra, jam ante
 quinquennium alibi ex societate Stu-
 diorum Academicorum nata, ulte-
 rius hic continuanda tesseram l. m. g.
 conscripsi T.

M. Christophorus Rhevvendus
 Zechlinensis Marchicus.

Herr Mader / grosser Musen Sohn /
 Der zeiten wehrter schmuck und
 Fahr also fort; die süßen Lieder (Krohn /
 Laß lieblich hören hin und wieder.
 Ich weiß es dieser Augenschein
 Wird dich bald sehen fertig seyn Durch

Durch oftmals schon geübte Stimmen
Den sternem-Hügel zu erklimmen
Apollo selber lässet schon
Der Musen Himlisch-Edlen Thon
Durch niemands ~~Weg~~ erhörte Weisen.
Den so beliebten Maschinen preisen
Auch ich will der geringste zwar
Von Phöbus treuer Diener schaar
Den grossen Ruhm und hohen Ehren
Durch diesen schlechten Reim vermehren.


M. Gottfriede Köfener/
von Berlin.



Nov. 2000 ^{8d.}







31

ATIO

g. Exerc. X.

R E.

VANTE

DIO

mi, atq, Excellentissimi

IS Sperlings/

mi, & p.t. DECANI

mi,

ac Promotoris sui

plendi

examine committit

MUNDUS Mader/

leomarch.

anuarij.

BERGÆ

HNERI Acad. Typogr.

DC LV.

